

me dicunt homines, esse filium illum hominis. Respondens autem Simon Petrus dixit: Tu es Christus, ille Filius Dei viventis. Semen mulieris est Filius Dei. Gen. 3. v. 15. 1. Joh. 3. v. 8. Filius Davidis est Dominus Davidis. Matth. 22. v. 42, 43. Quid vobis videtur de Christo, cujus filius est? Dicunt ei, David. Ait illis. Quomodo ergo David in spiritu vocat eum Dominum?

Filius Davidis est Filius Dei. Rom. 1. v. 3, 4. De filio suo (qui genitus fuit ex semine Davidis secundum carnem) qui declaratus fuit filius Dei cum potentia secundum spiritum sanctificationis ex eo, quod resurrexit e mortuis Jesus Christus, Dominus noster.

Alter Adam est Dominus à coelo 1. Cor. 15. v. 46. Unde Justinus Martyr in dialogo cum Tryphone operosè inculcat.

1. Jesum esse Christum, scilicet Messiam, adeoque hunc venisse.
2. Jesum non esse nudum hominem, sed & verum Deum. Irenæus lib. 3. cap. 22. 23. prolixè probat, Christum Deum & hominem esse, tandemq; ita concludit: Deus igitur homo factus est, & ipse Dominus salvavit nos. Item lib. 4. cap. 46. docet, Prophetas cum Christum nunc Deum, nunc hominem appellent, ad unitionem verbi ad plasma ejus manifestasse.

Clemens Alexandrinus lib. 1. Pædagog. sui cap. 2. de Christo ait: Pædagogus noster Deo Patri suo similis est, cujus est filius, Deus in figura hominis.

Cyprianus lib. 2. contra Judæos scribit, Christum esse hominem & Deum, ex utroque genere concretum, ut mediator esse inter nos & Patrem posset. Quocirca & ea fides recta est, ut credamus & confiteamur, quod Dominus noster, Jesus Christus, Dei filius, Deus & homo est. Deus est à substantia Patris ante secula genitus, & verus homo ex substantia matris in seculo natus, Perfectus Deus, perfectus homo, ex anima rationali & humana carne subsistens. Æqualis Patri secundum divinitatem, minor Patre secundum humanitatem. Qui licet Deus sit, & homo, non duo tamen, sed unus est Christus.

VI. DEITAS CHRISTI DEMONSTRATUR, tum ex Nominibus seu appellationibus divinis, quibus absolutè prædicatur Deus, Jehova, Dominus gloriæ, Dominus dominantium: tum ex naturali divina filiatione, quia ab æterno à Deo Patre genitus, ejusq; proprius & Unigenitus filius est: tum ex proprietati-